



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Caput I. Quæstionis status explicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)



QUÆSTIO FACTI

VTRVM THEOLOGORVM, SOCIETATIS IESV

Propriæ sint istæ Sententiæ duæ:

PRIMA:

Ex duabus opinionibus probabilibus possumus sequi minus tutam.

SECUNDA:

Ex duabus opinionibus probabilibus licitum est amplecti minus probabilem.

Auctore STEPHANO DE CHAMPS, ejusdem Societ. Presbytero.

CAPUT I.

Questionis status explicatur.



TRUM veræ sint istæ sententiæ, an falsæ, non disputo: hoc unum quæro, sintne Theologorum Societ. Jesu propriæ. Dum est enim quod id Montaltius, aliique Scriptores latvati, quàm importunè, tam falsò illis exprobrant. Quod ut ac-

curatè discipretur, quæstionis status brevi & enucleratè singularum vocum, quibus illæ sententiæ ab auditoribus suis concipi solent, explicatione declarandus est.

Notandum primò, sermonem esse de opinione, quæ à dubio ea re discrepat, quod dubium neutram partem inclinet, adeoque ancipitem, ac veluti suspensum animum teneat: opinio verò determinatum alicujus partis assensum includat, sed cum alterius formidine conjunctum, ut ait S. Thomas 1. p. q. 79. 15. ad 4. Certum est autem, eum qui aliquid agit propriè & strictè loquendo dubitans, sine peccato, an non, verè peccare. Quod recentiores ferè omnes post Suarez tract. 3. in 1. 2. disp. 12. sect. 5. n. 1. probant, tum ex illa juris regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*: cum hac ratione, qui operatur cum tali dubio exponit se periculo peccandi.

Notandum secundo, quæstionem esse de opinionibus, quæ sint verè probabiles. Duæ verò conditiones ad conciliandam alicui opinioni probabilitatem

requiruntur. Prima est, ut nihil contra eam, sive pro opposita sit convincens. Quamobrem præclare Suarez annotat loco citato sect. 6. n. 1. ad opinionis alicujus probabilitatem necessarium esse, ut non repugnet, aut veritatibus ab Ecclesia receptis, aut evidenti rationi: neque etiam temerè contradicat communi, & receptæ doctrinæ Doctorum. Altera conditio est, ut firmo aliquo fundamento nitatur. Duplex est autem hujusmodi fundamentum: nempe solida ratio, & auctoritas digna fide, quæ in re morali, inquit Suarez ibidem, multum habet ponderis. Quæ omnia Suarî assentiuntur omnes Societatis nostræ Theologi, qui vel strictim quæstionem istam libarunt.

Notandum tertio, probabiliorē opinionem eam esse, quæ duas illas condiciones modò explicatas perfectius possidet: tutiorem verò quæ nos ab omni peccati specie, ac veluti umbra longius removet. Quamobrem inter opiniones duas, quarum altera affirmat, altera negat, peccatum esse aliquid agere, semper affirmans est tutior; cum hominem se illi accommodantem, & ab opere quod damnat abstinere, nulli planè, ac ne materialiter quidem peccandi periculo exponat: at non semper est probabilior, cum debilioribus quandoque fundamentis nitatur. Prædem istud animadvertit S. Antoninus 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. Nam explicatis opinionibus S. Thomæ negantis, & S. Bonaventuræ affirmantis, post lapsum in mortale teneri aliquem statim confiteri sub præcepto, habita copia confessoris: significat postremam esse tutiorem, alteram verò probabiliorē. Beati Thomæ opinio, inquit, communius tenetur, quæ tamen minus tuta videtur.

Notandum quarto, hic agi de præcepto, non de consilio; sive, an liceat; non verò, an melius sit, sequi opinionem minus tutam, & minus probabilem.

lem. Fatentur enim omnes melius esse, per se loquendo, sequi tutiorem partem; vel si ambae sint aequè tutae, probabiliores. Quod spectat illud S. Antonini loco citato, eligere viam tutiorem consilii est.

Notandum quintò, duplicis generis opiniones esse. Aliae enim versantur circa ius solum ac præceptum, quaerendo præcisè utrum aliquid sit prohibitum, aut præceptum, nec ne; sive an sit obligatio aliquid faciendi, aut non faciendi. Aliae spectant conditiones rerum, vel facta quaedam: cuiusmodi sunt in Theologia, inquit Suarez loco citato, num. 8. An Sacramenta hoc modo facta teneant, nec ne: in Medicina an hoc pharum sit utile, vel perniciosum: in Iure civili, an iste sit haeres, vel non, &c. Non hic autem de secundo opinionum genere disputatur. Nam, ut ait Suarez num. 10. quando opiniones versantur circa res ipsas, an sint talis naturae vel conditionis, saepe tenetur homo praeferre opinionem certam probabili, & probabiliores minus probabili, quando scilicet ex iustitia vel charitate tenetur vitare damnum, vel incommodum, quod in re ipsa subest, vel periculum ejus. Quam suavis opinionem, & in temperanda plurimorum Theologorum de probabilitate sententia moderationem, approbant doctissimi quique Societatis nostrae Theologi; atque inde cum alia multa, tum præcipue ista duo colligunt. Primum est, eam de Sacramentis quaeritur, utrum hoc vel illo modo administrata, aut suscepta, valida sint, vel gratiam conferant, nec ne: per se loquendo tutiorem opinionem semper in praxi sequendam esse. Secundum est, iudicem teneri sententiam ferre iuxta opinionem probabiliores. Ita docent Vasquez, Valentia, Sanches, Becanus, alique magno numero Societatis nostrae Scriptores, quorum nomina postremo capite appellabo.

His animadvertis, intelligi facile potest, quid sibi velint ex sententia, de quibus hic est atque contentio. Agunt enim de opinionibus propriè dictis, quae & verè probabiles sunt, & circa ius solum, ac præceptum versantur, hoc unum præcisè quaerendo, utrum aliquid sit prohibitum, aut præceptum, nec ne, sive an sit obligatio aliquid faciendi, aut non faciendi. Ac prima quidem sententia docet, ex duabus ejusmodi opinionibus contrariis, licitum esse in praxi minus tutam sequi. Secunda idem statuit de minus probabili. Quam in assertione postrema supponitur opinionem illam minus probabilem, non esse magis tutam. Alias enim ne in dubium quidem vocaretur, an licitum sit eam amplecti: siquidem hoc ipso quò diceretur esse tutior, magis ab omni peccati specie nos removeret; adeoque non modò licitum esset, sed etiam laudabile ad illam, sic tanquam ad normam, actiones suas exigere. Quamobrem ex recentiorum omnium confessione posterior hac sententia, priorem includit: nec ullus ex his docet, licitum esse ex duabus opinionibus verè probabilibus amplecti minus probabilem, qui non supponat eandem esse minus tutam.

De his sententiis sic explicatis quaeritur, siutne Theologorum Societatis Jesu propriae. Quod sine insigni fallitate, & calumnia dici non posse manifestè demonstrabo, cum plurimorum utriusque opinionis defensorum testimonia protulerò: sed antequam ea describam, pauca quaedam eruditum Lectorem admonitum velim.

CAPUT II.

Quaedam observanda circa Auctores, quorum testimonia deinceps recitabuntur.

OBservandum primum, veteres quidem Theologos complures allegaturum meritis tamen appellandis maxime laboraturum, quæ abhinc annis centum floruerunt. Nam cum hunc numerum disputem, siutne Theologorum Societatis propriae istae sententiae; eorum præcipue testimonia profertenda mihi sunt, qui ex quo Scripturam nostram celebrari nomen coepit, libri editi illis defunderunt. Neque verò deerit, qui antiquiores utriusque opinionis patronos accuratius colligat, deincepsque magnam veterum Theologorum partem, qui contrarium docere videri possint, nihil omnino sententiae adversari.

Quamquam & istud ex his, quæ jam annotavi, intelligi facili potest. Nam primum, plerique loquuntur non de opinione, sed de dubio, ut de B. Thoma, & de S. Antonino observat loco paulò mox citato. Secundo, agunt alii de opinione, quæ sit contra scriptum testimonium Scripturae & determinationem habet, ac prout de quæ non sit probabilis, ut idem B. Thoma admonet. Tertio, sunt qui de conciliando præcepto loquuntur, ut notat Sylvester verbum cap. describendis. Quarto, agunt alii de dubio tantum, & de factis ad aliena jura pertinentibus ut Dominicus Soto, qui eo ipso loco, quem Wendrock citat, in iuribus lib. 3. de iustitia & iure, q. 6. a. 1. de mentem suam exprimit: In praxi, quæ aliqua iura spectant, nescis est iudici infirmior opinio sententia. Eodem in ius est Panormitani & Navarri: nam in exte- no quidem, & contentioso foro docent sequendam esse opinionem illam, quæ meliori & subtiliori ratione nititur, sed in foro conscientiae, & ad effectum non peragenda, alter fieri posse discretissime asserunt, ut ex productione eorum testimonii constat. Quinto, loquuntur nonnulli de Sacramentis, & de mediis ad salutem necessariis. Atque hanc esse S. Augustini mentem lib. de Bapt. cap. 3. (quem unum ex Patribus locum notat) posteriorem sententiam Wendrockius opinatur ex ipsis ejus verbis manifestè demonstrat. Gratianus in 1. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 4. num. 46. Bressensis lib. de conscientia, cap. 9. & Matthias Hauzeur tom. 2. Epitomes S. Augustini ad eum locum: Loquitur enim S. Doctor de homine, quemadmodum per Wendrockius admonet, qui jam fatetur se eum non Baptismum in Ecclesia Catholica rectè suscipi, sed saltem an rectè apud Donatistas suscipiatur, de illo autem sic pronuntiat: Si dubium haberet non illi rectè accipi, quia Ecclesia Catholica rectè accipi certum haberet, quatenus percarer in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo quod certis incerta proponeret. Quibus ex verbis etiam colligit Vasquez in 1. 2. disp. 63. cap. 2. n. 8. & post illam Salas ibidem tract. 8. disp. unica, sect. 10. n. 4. agere non loqui quando sunt diversae opiniones, sed quando de una parte dubium est qui operatur, de altera autem certum.

Observandum secundò, Theologos omnes, quibus annis ferè centum de his rebus scripserunt, tam consensu utriusque sententiae patrocinium susceperunt, ut auctores à me deinceps allegandi, quorum priorique accuratissime eorum omnium nomina perreaserunt, qui controversiam istam agitarunt, unum dumtaxat ex recentioribus Theologis non Jesuitis Antonium Perez Benedictinum appellent, qui ab aliis utriusque dissentiat; & admittit prioris opinionem, post-